Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1005
Quelle:
Copyright:

Nicolai de Lira ſuper Bibliam edite a Reuerendo Patre domino Paulo de Sancta Maria Magiſtro in theologia Epiſcopo Burgen. Archicancellario Sereniſſimi Principis Domini Johannis Regis caſtelle et legionis Quas Venerabili viro Alfonſo legum doctori Decano Compoſtellano filio ſuo ex legitimo matrimonio genito direxit Premittens ei prologum ſub forma ſequenti, finiuit autem eas Anno domini. M. CCCC 29.no. Haec paene ad literam in *Bibliis gloſſatis* v. g. Edit. *Lugd.* 1545. f. ubi *Lirani Poſtillis* per ſingulos Libros *Additiones* ἐπικριτικαι *Pauli* ſubjunctae ſunt una cum *Replicis* ad easdem *Matth. Doringii* ſeu *de Thuringia* Ord. Min. qui, tanquam *Paulus* Franciſcani Sodalitii Palladium temeraſſet, mea quidem opinione acrius in illum incurſavit, neque verum credo, quod in *Lirani* elogio quodam apud *Fabricium Bibl. med. Lat.* L. XIII. p. 118. 4. legitur, *Doringium* id operis *ſummi Pontificis mandato* ſuſcepiſſe. Ceterum ordo *Additionum* in praeſenti *Codice* mire confuſus eſt; initium enim fit ab *Actis Apoſtol.* et definitur in *Jobo* hac clauſula: *Anno (14)57. proxima die ante octauas epiphanie.* Integrae tamen ſunt, ut ne quidem *Epiſtolam* illam F. *Minoris* ad *Burgenſem*, et hujus *Reſponſum* deſideres, quae in *Bibl. gloſſat.* merito praecedunt, hic vero *fol.* 192. inter *Additiones* in *Iſaiam* et *Geneſin* interjiciuntur.

VI. *fol.* 348. *Tractatus cuiusdam officioſe determinans Auctoritatem ſummi Pontificis precellere auctoritatem eccleſie et conciliorum.* Ejus ingreſſus: *Audiui et conturbatus eſt venter meus, a voce contremuerunt labia mea, flebile in eccleſia dei diſſidium ortum. Non paganos ſed domeſticos fidei ac etiam vniuerſitates quasdam — inter ſe diſcrepare de eccleſiaſtica poteſtate, non ordinis ſed jurisdictionis plenarie* &c. Itaque ad tria ſe accingit Noſter: *Primo plenarie poteſtatis eminentiam in papa oſtendam reſidere. Secundo ex eadem poteſtate concilium baſilienſe rite translatum fore. Tertio depoſitionem ſanctiſſimi domini Eugenij pape irritam exiſtere.* Finit difficillimae lectionis: *Ipſe enim quos ſoluit, ſoluit chriſtus, qui nos benedicat in ſalutem eterne felicitatis. Amen.* Depoſuerunt *Baſileenſes Eugenium* in Seſſ. XXXIV. 25. *Jun.* 1439. unde liquet aetas *Tractatus* noſtri; Autorem vero etſi in Editionibus *Concill.* et *Roccaberti Bibliotheca Pontif.* diligenter quaeſitum non reperi, ſuſpicor tamen eſſe Card. *Johannem de Turre Cremata* O. P.

VII. *fol.* 362. Initia Capitum omnium Librorum Biblicorum.

Codicem ambiunt Membranae quaedam Sec. XIV. in quibus ſcripta eſt Expoſitio aliquorum locorum *Matthaei.* In antica praeterea legitur notatum:

Dum